

**Exercitatio academica, sistens aegram purpura alba majori laborantem ... /
respondens Carol. Leopold. Linsenmann.**

Contributors

Linsenmann, Karl Leopold.
Camerarius, Alexander, 1696-1736.
Universität Tübingen.

Publication/Creation

Tubingae : Typis Joh. Cunradi Reisii viduae, [1723]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/f9gcmnf2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

16

EXERCITATIO ACADEMICA,
SISTENS ÆGRAM

PURPURA ALBA
MAJORI

LABORANTEM,

QUAM

ASSISTENTE DIVINI NUMINIS GRATIA,
CONSENTIENTE FACULTATE GRATIOSA,

PRÆSES

D. ALEXANDER CAME-
RARIUS,

MED. PROF. ORD. ACAD. NAT. CUR.
HECTOR IV.

FACULTATIS MED. h. t. DECANUS,

ET

RESPONDENS


CAROL. LEOPOLD. LINSENMANN,
ROTHWILANUS,

PLACIDO PHILIATORUM EXAMINI
SUBMITTUNT.

AD D. XXV. SEPT. ANN. MDCCXXIII.
IN AUDIT. MEDICO.

TUBINGÆ.

Typis Joh. Cunradi Reissii Viduæ,





Σ. Θ.



Lebre acutâ continuâ laborans Fœmina, cùm videretur ipsi ministrantibus insolitum exhibere phænomenon per superficiem pectoris, mihi jam prius ipsam visitanti, ejusque curam gerenti, sed nunc propere advocato, ad examinandum, & consultandum quoque desuper cum *B. Parente*, fuit commendata. Liceat igitur referre, quæ tum viderim & egerim, imò reflectendo super ista, casum hunc ipsum integrum exercitii gratiâ proponere ad disputandum publicè. Videbatur n. operæ adhuc esse pretium, & attentionem omninò mereri Medicam morbus, quibusdam dictus apud nos planè novus, aliis frequentior modò fieri creditus. *Quandoquidem verò morborum & miseriæ humanæ satis omninò est, si non nimis, itaque sub auspiciis laboris nostri Deum veneramur, velit per Filium Suum Unigenitum, Soterem generis humani Unicum, ab omni malo nos liberare, animæ corporisque morbos curare!*

Erat autem tunc in morbi statu ægræ illi pectus anticum superius, versus collum & utrinque ad axillas, oblitum magno numero vesicularum, tenuissimæ cuticulæ, magnitudine non seminis milii, sed lentium majuscularum, quæ candidæ, elarâ aquâ plenæ,

plenæ, discretæ, absque cohaesione aut confluxu, similes pendulis fortè guttis lacrymarum, vel potius & exactius floris Coronæ imperialis, aut totidem quasi margaritis, super cutem aspectu vix mutatam, superficiei non inflammata, turgidula, leniores sub calore conclavis & lecti, quàm sub & ab aëre libero, ut ut æstivo, medicam omninò merebantur attentionem. *Nihil* tale erat tunc in facie, aut dorso, nec per inferiora corporis; postmodum tamen se extendit ad latera, & descendit ad umbilicum; Fuit autem omne illud *sine* ardore, dolore aut pruritu cutis, usquedum ficcari cuticula & abscedere inciperet, quod quidem diu valdè ferè per totum corpus factum fuit, tunc demum subprurientes invitabant ad fricandum. *Nihil* ipsis interspersum, vel alibi per corpus observatum, ullarum macularum, vel efflorescentiarum plurium, aliarum; nec hæ vesiculæ abierunt in suppurationem quandam, sed tactu facilè crepantes parum dederunt madoris aquei, indè aruerunt. Sic postquam per aliquot dies fuerunt conspicuæ, transierunt & evanuerunt, novâ progenie non nisi rarâ & parcâ repullulante, nec subsequente per pectus aut inferum corpus alterius generis eruptione cutaneâ.

Ad declarandam hanc observatiunculam facient phænomena antecedentia, conjuncta s. concomitantia, & succedanea, quæ sequuntur. Anno *decimo octavo*, tempore febrium urbi epidemiarum, loco non illo Disput. Dn. Lic. Elwert, Matris illius duæ filiæ laborarunt satis graviter *febre continente*, per sept. & octobrem, visæ reportasse illam à visitatione ita febricitantis Cognati: evaserant tamen. Fuerat silentium in ædibus usque in Junium *decimi noni*. Tunc *Patrefamilias* occultâ de causâ q. *pleuriticè* correpto, & nono morbi die acutè abrepto, jam senescens *muliercula* illa, annorum cc. 60. parvula, tenera, querula sæpè de catarrhis, erysipelatibus, splenis uterique molestiis, in primâ statim à mariti obitu horâ insolitam ipsi, at perparcam,
è na-

è naribus *hamorrhagiam* passa, & uti facilè creditur, valdè afflicta, post curas, vigilias, labores, ad noctem ejusdem diei lectum petens, *horridâ* quâdam cum *alteratione* cubitum properavit, altero jacuit eâdem cum defuncto camerâ, sub inquietudine turbulentâ, jam qs. *subdelira*; ad meridiem tertii surrexit, & interfuit exequiis, sed ægerrimè. Nec sequebantur dies indè meliores, sed fuit illud acuti quidem, longioris tamen, morbi principium. Erant autem querelæ uxoris prioribus nuper mariti ferè similes, de *dolore* imprimis lateris dextri, imi *pectoris*, velut punctorio, qui dein ad dorsum & sursum protendi visus; progressu in artus diffusus; ut maneret tamen locus ille primus præcipuus & constantior, sæpè in ipsam usque declinationem tam exacerbatus, quàm renovatus: primò ferè sine tussi, sed superveniente modò tardè, nec durante per morbum; sine gravamine etiam respirationis, præter offendiculum illud doloris: Cum *sputo* autem primò paucò, subcruento, non diu, sed deinceps admodum molesto, difficili: In *calore* febrili magno. *Caput* interim, præter morem aliàs febrilem & malignum, mansit tantum non liberum à dolore, non æquè à confusione quâdam phantasiæ, non tamen magnâ.

Cùm à vesperâ diei 22. Jun. ad diem 2. Julii ista ægram afflixissent acriter, visa fuit, post noctem quietiorem & somnum, quædam manè *remissio*, sputo etiam albo liberiùs & faciliùs prodeunte, ut cibi quid tunc poposcerit, & ederet: Sed *brevis* fuit illa; invaluit citò iterum febris, cum omni symptomatum vehementiâ. Simul autem fuit observatum, comparere per interiora *oris* & linguam *vesiculas* albas, & augeri numero per dies sequentes usque magis, ad secessum & dependentiam tandem qs. laciniarum multarum. Jam cum fluxu, ferè primùm dubio an è pectore vel faucibus, sputi vel salivæ, sed certè tandem & clarè cum *ptyelismo*; ad magnam molestiam & dolorem deglutitionis, liberiore manente respiratione; semper cum *levamine*, quan-

do & quandiu procedebat & promovebatur sputatio, screatus, statim pejus his remittentibus, & sub tenacitate muci difficili: *Sine vomitu, absque singultu, nec cum sono delapsus assumptorum*, qui in marito fuerat observatus.

Hæc cum in summo essent, cum quereretur ægra de dolore à faucibus per medium sternum, qs. pungeretur & lancinaretur in deglutitione adeò ægrâ, & os vix aperire valens loqueretur modo ac sono qs. infantili: Interim sub calore morbi, lecti & æstatis, utut aërem liberiores se ferre non posse non semel cum damno jam experta, & ipsa poscens hypocaustum calefieri, cum sæpè tamen removeret stragula, locum mutaret, tentaret surgere, non valens tamen durare unquam extrà lectum, sed pejus semper inde habens, ut ipsâ diei sexti Julii, decimo quarto morbi, vespérâ grave ipsi supervenerit *deliquium*: Tunc vocatus fui ad conspiciendum comparentes insuper, & nescio quo præcisè temporis articulo primùm animadversas, pectoris vesiculas.

Tandem phænomena subsequencia fuerunt præcipuè longæ de afflictis *faucibus* querelæ, tunicarum qs. laciniis secedentibus, primò albis, dein subfuscis, cum rubore sub ipsis & teneritudine, ad frequentem sensum delapsus acris liquoris, vel passionem acrimoniæ irritantem: Calores vespertini, inquietudines nocturnæ, languores longi; erat autem etiam molestus calor æstatis, *serus pedum tumor*, sine dolore, cum sensu modò ponderis, ad decrementum tamen sub sudore, cum pruritu & secessu cuticulæ, sponte nec tardè subsecutum, absque tamen scabie; sed occiput erysipelaceo qs. modo *pustulis* mordacibus obsessum, cum ardore cervicis, & exacerbatione multarum querelarum ab extricatione sub finem capillorum, imò tandem ad delapsum eorum sensim qs. omnium. Tunc aperta qs. *auris* dextra, quam priùs minus liberam, sed occlusam, non æquè attenderat, vel curarat. Paucis, tarda convalescentia, à medio Julii ad principium Augusti, languore ad usque acutarum terminum per quadragessimam

simam medicam extenso, felix tamen & plena, cùm ipsa superfit adhuc, &, quod huc etiam spectat, neminem adstantium vel domesticorum corripuerit febris vel similis, vel quæcunque alia, urbi tunc epidemia.

Si quis Therapiam quoque requirat hujus affectus, præcipua dabimus censuræ Ipsius capita. Ex Fonte Chirurgico Venæ sectio instituta fuit demùm d. 26. junii, suo suorumque consilio, *cruor* exceptus post moram comparuit sine crustâ, *mundus & pulcher* in superficie. Vesicatoria brachio & pedi fuerunt posita demùm d. 29. tardè & ægrè vesicas excitarunt. Emplastrum lateri dolenti fuit impositum, sæpè renovatum, de meliloto & diachylon s. cum camphorâ mixtum; vicinæ & ulteriori dolori datus fuit spir. vini camphor. & matricalis. Injections in summo faucium afflictarum gradu mane & vesperi à chirurgo fuerunt cum solitis suis decoctis diu continuatæ. Habuit insuper per dies & noctes frequentioris usûs cremorem hordei, butyrum cum nitro, mucilaginem seminum cydoniorum, cum syrupo tam domestico violarum, paralyseos, quàm de jujubis, mell. rosat. &c. Singulis tum ferè diebus injici voluit Enema domesticum, lene, molle, multum levaminis indè observans. Naribus pro refectiione data non modò suavis aqua hungariæ, sed & fortior, fœtida quidem, grata tamen fœminis & conveniens castorei essentia cum spir. salis ammoniaci.

Ex pharmacix a. penu pro usu interno præscripta & exhibita fuerunt, non simul & semel, sed successivè, per morbum non brevem sqq: Quod primò statim largiusculè datum fuerat ol. amygdal. dulc. desideratum porrò fuit ab ipsâ diu, quàm maxime per dies afflictarum faucium: Vomitus ibi non movit, hîc leniendo, expediendo tenacitatem muci, laudem meruit multam. Pulveres absorbentes & diaphoreticos fixos, antimon. diaphor. corn. cerv. ph. c. matr. perl. ocul. cancr. ppt. cum pectoral. spec. diair. glycyrrh. mixtos, sæpè, variè; Cortic. chaquer.

querille semisrup. subindè : bis terve etiam nitri scrup. sem. cum grano camphoræ, & tribus sulphuris. Infusum domesticum veron. beton. meliss. hyperic. Decoctum hordei, liquirit. fœnic. pectoral. calidum largiter : Noctibus alternis emulsiones sem. carduorum, melon. cum aq. card. bened. scabios. taraxac. saccharo perlato edulcoratas ; & pilulas extr. card. bened. liquirit. helen. chaquer. cum & sine castoreo, bezoardico. Tandem, cum ægrè procederet deglutitio, ut erat dosium parcarum, ac frequentium appetens, spir. ammon. anis. scrup. dimid. cum drachm. dim. alkermes in aq. scabios. unciâ & syr. jujub. drachmâ. Item Essent. chaquer. pimpinell. pectoral.aa. cum syr. helen. ad p. o. guttatim in aq. til. meliss. syr. paralys. Muci & sputi difficultati oppositus etiam fuit non semel gumm. ammon. semisrupulus, aq. chærefol. solutus, syrupo ad grat. edulcoratus.

Hâc autem occasione notandum, cum, ut dictum, aqua hungariæ data fuisset pro recreatione naribus, in summo aphtharum ægra ipsam linguâ etiam lambere cœpit, & aliquandiu non adeò parcè continuavit, ut caveret, ut abstineret, sibi persuaderi non passa. His adde vel propria ægræ desideria, per arrostian dianoeas, vel suggestiones nescio quorum vel quarum, de dando, concedendo vino, lacte frigido concreto, item acidulis, paucis fragis, cerasis, & quidquid erat talium medicè negatorum, clam, ut fieri amat, nescio utrum vel quantum, exhibitorum.

Sic etiam comparatum erat cum *Regimine*, per inquietudines & inconstantias, mutandi locum in lecto, surgendi, cum tamen durare nunquam posset, plerumque pejùs inde haberet, stragula movere, captare aërem liberum, mox iterum, & sæpè quidem, mediâ æstate calidâ, velle calefieri hypocaustum. Quis sufficeret dirigendis omnibus in bonum, præcavendis, quæ damnum minantur. Non semel, sed semper, juvantia & nocentia declarando, officium si fecerit Medicus, nihil habet ultra, nisi ut reliquum Deo committat.

Tan-

Tantum de *Historiâ*. Ad *Theoriam* progressuri circumspiciemus, quid de Medicorum dogmatibus applicare possimus ad ipsam, pro resolutione casûs nostri. Ante omnia quidem *Affectus* dicendus erit Febris Acuta Continua Exanthematica; an *Miliaris*? quoniam exhibuit singularem efflorescentiarum speciem, quam vesicularum eruptionem ut in ore *Aphthas*, sic in cute *Purpuram Albam* vocare solent. Convenire enim videntur ista duo, quanquam descriptiones quorundam miliaris, & aliorum purpuræ, diverso aliquantum modo proponantur, differentia tamen videtur esse modò à conditione personarum, temporum, locorum, & similium circumstantiarum, varietatem sæpè non parvam in morbo specie eodem importantium. Nec obstat *magnitudo*, illam seminis milii multùm superans, siquidem cætera conveniunt, & hoc accidens rem ipsam non variabit, nisi quòd hinc dici possit & debeat *Purpura Alba Major*. Nec est, quòd hoc ineptum vel indictum videatur Aliis: præter alios C. *Raygerus* hujus majoris notæ expressè mentionem fecit, & dixit: *den weissen ausschlag*, uti vulgò alibi *der oder das weisse friesel* audit.

Non fuit ergò *Purpura Rubra*; cui rectiùs nomen illud competit, cùm albæ nihil sit purpurati: Nec mixta seu confusa rubræ, quod *Hamilton* aliàs notavit; Nec rubræ succedanea vel prævia, aut cum ipsâ permutata, quod dubitatur in *Actis Berolin.* Rubræ tamen cognata videtur fuisse hæc alba, in tantum, quandoquidem illa visa fuit per urbem, non modò in febricitantibus, quibuscum huic ægræ nihil erat commercii, sed etiam in domesticis, sc. filiabus ante annum, marito nuper.

Non fuit porrò purpura *Urticata*, quippe cujus descriptio à *Lochnero*, *Alberto*, tradita differt benignitate, amplitudine tenuitatis vesiculosæ, & inflabundâ rubedine, urticatæ parti confimilis: Quæ quidem recentiorum *nesselsucht* propiùs accedit ad nostratium *wibelsucht*, affectum ab olim hîc loci diu satis notum, non

magni habitum, f. quibusdam sub latitudine sanitatis negligentius habitum.

Non fuit denique purpuræ illa species rarior, dubia q̄s. *Variolacea*; quia descriptiones *Raygeri* & *Act. Berolin.* non quadrant. A variolis ergò, morbillis, petechiis, & cæteris cutaneis maculis & vesiculis ita differt, ut pluribus hîc non sit opus.

Subjectum est superficies in hoc casu tantùm pectoris, cuticula: Affectus non pustula, si quidem huic à pure nomen est, quod hîc non fuit observatum, sed vesicula, cuticulæ à cute separatio, elevatio, apospasma, clarum aqueum liquorem continens, cui num convenientius sit nomen papulæ, viderint critici. Similiter comparatum cum membranâ obductâ interioribus oris & faucium; nisi quòd hæc crassior secedens laceras & pendulas partes separatae tunicae exhibuerit, sub quibus denudata q̄s. exco-riata teneritudo subjectæ substantiæ acrem sensum importavit. Quàm clarum hoc, tam dubium & obscurum, quod fuerit *causa subjectum*, quis huius morbus? Gula, Stomachus, pro aphtharum ascensu vel descensu? Obsessa viscera pro purpurâ desuper efflorescente? vel potius Massa Sanguinea, utrinque secundum partem suam albam, quæ vehiculum præbuit materiæ tenuiori per diapnoen, crassiori per salivæ fontes expellendæ.

Febris quidem naturam hîc non disputabimus, iniquationem, turbationem mixturæ, concitationem motûs fatentur omnes, qui dein dissentiant controvertendo, *utrum* ex necessitate dispositionis ille excitetur, *vel* ex prudentiâ instituatur & dirigatur ad finem. Hoc potius meretur disquiri: qualis illa fuerit *febris*? an *inflammatoria*? sive, quæ fuerit & cuius visceris intus & subtus læsa dispositio? an inflammatio. Num, ut aliàs huic gangrænam minanti sunt vesicæ malignæ: Sic & comparentes extus & supra vesiculæ subjectarum periclitantium partium sint signa? *Bærhæve* quidem de purpurâ ferè silens, ex professo tamen de aphthis agens, caput ipsis dedit singulare, post morbos acutos cum inflamma-
tioni-

tionibus viscerum. Et quæ in Disput. B. Parentis de *Apoplexiâ* c. Febr. legitur efflorescentiæ talis copia (non illa ex Hamiltono citata, sed altera, posterior, ex propriæ quondam praxeos penu desumpta) non fuit febris miliaris apoplexiam accersens, sed purpura alba apoplexiæ superveniens, ob febrem s. ab ultimo naturæ conatu, s. ex inflammatione gangrænosâ interiorum capitis à sanguine congesto & extravasato.

Causa verò ipsa in genere quidem facilè accusabitur, venenum, fermentum, miasma, secundum partem sui subtiliorem per glandulas subcutaneas, secundum crassiorem per salivales expellendum: Sed speciem hujus objecti naturæ humanæ adversi & noxii exprimere, cujus originis sit, mineralis, vegetabilis, aut animalis, s. specificam differentiam pro diversitate exanthematum determinare, cum suam hîc ignorantiam fateantur, qui magis sapere videntur, quis à nobis postulabit. Quanquam ergò contentos ita esse oporteat generali conceptu materiæ inquinantis, irritantis, fermentescentis; specialior tamen adhuc foret quæstio: *Utrum* insuper hæc nostra mereatur prædicatum, quod in *Stahlii* Disp. d. Exanthem. Retrocess. citatum legimus, *scorbutica*? & hujus per *potentias salinas* explicandæ?

Mortonus, *Hamilton*, & aphthas & purpuram tradunt, sine respectu ad Scorbutum; qui tamen in Angliâ subesse febribus & earum efflorescentiis præsumitur. Ex Belgio *Bærbave* aphtharum patriam, temporis & ætatis rationem recensuit, gentibus scil. borealibus, paludosa loca inhabitantibus, tempestate calidâ pluviosâ, præter infantes senibus frequentes; quorum priora verba scorbuto conveniunt maximè: sed in prolixo hujus symptomatum catalogo præter febres & stomacacen binæ illæ species expressè non occurrunt.

Verùm enim verò *Pechlinus* singulari observatione aphtharum historiam, theoriam & therapiam complexus, hoc tandem reliquit topicum: Morbum in Belgio popularem esse, nec facilè febrem.

febrem ullam ardentem absque eo solvi. Ne tamen septentrio-
ni omni vel toti communes credas, addidit: in cimbriæ plagâ
occidentali & maritimâ sibi etiam fuisse notatas, in reliquâ ta-
men regione oppidò raras. Ejusdem verò cimbriæ locis nonnul-
lis porrò anniversariam scripsit purpuram, exanthematum tamen
talium colores recensens, ruborem, flavedinem, nigredinem di-
xit, non albam. Scorbuti tandem schema graphicè depinxit, ex
quo eminet *Perihydrosis Scorbutica Virginis indomita*, à pustulis,
quas hydatides vocat, s. vesiculas hydragogas, ad excoriationem
utrinque simul, per superficiem corporis & oris, ut illa mutatio-
nem linteorum non permetteret, hæc non vocis nec linguæ u-
sum; cum quâ proin conferri meretur *Frid. Hoffmanni Ægra, affe-
ctu raro scorbutico pustulari laborans*, quam pecul. disput. quondam
proposuit. Cæterum evolvi hîc atque legi etiam poterunt, quæ
de *Aphtharum*, non oris modò atque faucium, sed & partium *in-
ternarum*, proventu in *scorbuticis* suo quondam tempore obser-
vavit B. *Avus*, unde in *Disp. c. t. Thes. Pract. Triga*, medio loco
pro thesi posuit: Aphthas internas frequentiores esse, quàm vul-
gò putant.

Vetulæ igitur, ex præmissâ ipsius descriptione personali, *se-
rum falsum acre scorbuticum* tribuerem, nisi *falsè* riderent patho-
logiam falsam Stahliani: Poterit tamen cum grano salis forsan
ita explicari, ut conciliationem adhuc admittat apud concor-
diæ studiosos.

Pechlinus analogiam proposuit triplicem, s. comparando ve-
siculas istas cum similibus notioribus, ita declarare studuit. *Pri-
mò* ex chymicis sublimationem florum & salium præ oculis ha-
buit, quæ perindè summum vasis, per gradus tamen, affectare
soleant, ac aphtharum flores surgere, & vel in extrema oris
aut faucium cava erepere. Sic & *Sydenham*, ut declararet depu-
rationem & despumationem materiæ febrilis duplicem, pro se-
cretionem non solùm fæcum, sed & florum, provocavit ad exem-
pla

pla liquorum, spumæ forsan & fæcis, quam utramque exhibet fermentans mustum & cerevisia.

Secundò, spinam cuti infixam, causam excitatæ pustulæ, applicare voluit: Ob adeò fœcundas qs. pustulas, non aliter ac si alia ex aliâ suppeteret materies, aut conica salis acumina subtilitate suâ cutem quidem extollere, sed ob basin latiore pervadere omninò non possent. Posset huc referri modus demonstrandi cuticulam, s. aquâ fervidâ, l. igne; quin & vesicatorii exemplum, juxta modum ab *Helmontio* ad quæstionem (cur cantharis cutem vivi vesicat, non cadaveris) expositum.

Tertiò, phænomenon à superficie rerum putrescentium visus sibi fuit vidisse, vesiculis utique præ maculis non absimile. Scilicet est hoc sitûs putredinisque proprium, ut secretæ fæces in speciem flosculorum aut spumæ sese efferant, quod adeoque in scorbuto, qui & ipse sanguinis putredo est, fieri probabile est, & hinc non malè sitûs vocabulo scorbutum appellari maculosum, neque inconsultum fuisse Belgam, qui toto libro, ubi morbum hunc describit, *schimmel* nominavit, ut nominari vulgò solet floridus humidorum situs. Sed hoc phænomenon fatiscantis naturæ & transeuntis in statum alterum *Malpighius* accuratiùs consideravit, scilicet per microscopia, & docuit, esse quandam qs. *vegetationem muscosam, fungulosam*. Hâc autem occasione liceat quærere: quid videatur de *Gallis* ab Ipso quoque declaratis. Utrum vesiculæ & pustulæ aliquæ per morbos, & quænam in specie, per analogiam quandam dici poterunt vel debebunt Gallæ Animales? Quidquid sit de hoc, in *schedis* tamen *paternis* legi, simile illud placuisse, aut visum satis congruum fuisse fœminæ cuidam è plebe quidem, sapere tamen visæ, ad describendum modum, quo comparuerit superficies corporis in febre malignâ mariti sui: Sub declinatione scil., cum spes jam esset evadendi, cutem ipsi fuisse oblitam qs. *situ mucido*, vel innumeris minimis *guttulis*, perinde ac fortè vetustus paries

compareat cellam subterraneam intrantibus. Sed & hinc patet, tale quid inter nos fuisse notatum & olim, priori adhuc seculo, sub principium ultimi decennii.

Medicè autem *laud.* *Autor* vesiculas & oris & cutis declaravit per crisin imperfectam, metastasin quasi criticam. Et in hoc consentientes habet Autores plerosque omnes. Duplex tamen hinc orietur quæstio : Prior, quo jure mereatur nomen bonum? Altera, utrum potius ipsi conveniat nomen criseos per apostasin, ex communi sanguinis oceano, vel per metastasin, ex certo viscere?

Certè malè passim audit purpura alba. *Mortonus* vesiculis aqueis per *pyretol.* part. 1. & 2. nullibi videtur tribuisse prædictum criticum : nec eas cum aphthis in eadem febris specie conjunxisse. Gradui potius malignitatis, & veneni prævalentis primo & secundo deleterio, illas per collum & pectus sparsas eruptiones miliares, morbillosæ efflorescentiæ contradistinctas, assignat. Nec vesicularum aquearum per interstitia variolarum mentionem repetit, nisi inter signa maligna, quæ funestum præmonstrant eventum. Præter autem illas habet quoque inflammationem herpeticam, quæ per cutem serpensante & post exulcerationem semina milii referat. Sed pro aphthis albis (nigrarum enim alia, tristis, & peior est ratio) & crisium & partium secernentium respectum ad invicem, atque subordinationem ubique observat & applicat. Sic in febre continente naturæ venenum superantis crisin declarat etiam aphthis, decrefcentibus, aut colorem saltem in melius mutantibus : cum è ductibus salivalibus rivulus lymphæ sanæ os colluit, illæ absterguntur, brevi sanescunt, & sitis extinguatur : Et, quanquam salivatio aphthas albas comitabunda longa quidem sæpè sit & tarda, quin hoc ipso molesta, certam tamen esse & salutiferam. Sic in *dysenteria*, virulentiâ per ductus salivales expulsâ, ope aphtharum & salivationis immensæ supervenientis quosdam liberatos meminit; ad argumentum in tali casu suæ continentis. Sic inter

dira

dira *phthiſeos* à febre putridâ ſalivationem, inflammationem, exulcerationem, aphthas, dolorem gutturis moleſtum, ad ſingulum uſque, trifti ordine recenſet, tanquam molimen in caſſum ita excernendi materiam, ſed per alvum atque alias portas (etiam arte) præpeditam: Perindè ac in *variolis* à cute ad ſalivæ fontes, urinæ vias, ad extremos uſque artus, communem materiam deducit. Et hoc quidem benè, criticè, ſed illud triſte non meretur ita bonum prædicatum.

Bærhæve aphtharum etiam rationem non ſimpliciter poſuit in conditione loci, ſed in reſpectu potiùs ſuperarum faucium cum alvo inferâ. In febre quidem cum diarrhæâ & dyſenterîâ in fine morbi aphthas dixit à caleſcientibus & adſtringentibus; præcavendas autem purgante in morbi principio dato, quod hîc moris non eſt in dubio inflammationis internæ metu. Interim & *Pechlinus* reſpexit in earum curatione ad ſubductionem lenem cacochymîæ primarum viarum.

Quia ſic deventum eſt ad cauſam & culpam alibi commiſſam, aliundè ad faucas reflexam, ſub reſpectu tamen critico, corrigendi utcunque, quod malè fuit perpetratum; talium autem errorum plures citantur alibi: quapropter & horum facienda mentio, habenda ratio. *Albertus* & *Jünckerus* in commotione jam tum febrili congeſtionem Stahlianam ad caput & fauces imputant etiam *refrigerationi* partium inferarum, item *venæſectioni* inſtitutæ in partibus ſuperioribus; & redarguunt tam regimen calidum, quàm curationem febris catarrhalis malignæ per methodum nimis refrigerantem.

Quantum ergò culpæ redundarit in noſtro caſu in omnes illas perſonas, quas habet Aph. Hipp. primus, ex hiftoriâ diſputari poſſet. Dicerent illæ forſan pro ſe: Tales cauſas, quibus imputari vult effectus, veſiculæ oris & cuticulæ, eſſe frequentiores, quàm ut ipſe poſſit inde deduci, quia rarior; Et, obſervari fortè phænomena talia, ubi deſunt illæ rationes, quibus vellent imputari.

Re.

Respectus autem mutuus utrinque istarum vesicularum non eodem explicatur modo: In laud. praxi ex retrocessione purpuræ albæ nonnulli aphthas, & affectus incurrunt anginodes. Juxta *Hamiltonum* observare est, eodem tempore augeri aphthas, pustulasque miliares exarescere. E contra, simul ac lingua aphthis nudata fuerit, pustulas miliares elevari. Et nonnunquam febris reliquias, post desiccationem pustularum, in aphthas nutriendas derivari. Inde pryalismus in hac febre juxta ipsum plerumque copiosior, quàm in ardente. Ideoque hic sitis plerumque minor est, & lingua viscoso humore minùs obducta. Sed notante *Bærhavio*, crusta aquosa primò exitum liquidorum per sua emissaria impedit; crustis autem deciduis major jam per dilatata vasa jam aperta humorum effluxus, unde salivatio, diarrhæa; quæ bonæ, si non renascuntur crustæ. Hinc in vernaculâ nostratibus nomen *prunella alba*, humidæ, hoc ipso contradistinctæ prunellæ absolutè dictæ, vel & anginæ. Conferri poterit *mundfaiile* infantum, plerumque cum rhagadibus papillarum lactantis.

Ad Rationes Symptomatum. Sed talia sunt principiata, qualia fuerunt principia. Quo fato fœmina illa tunc temporis *sola rariore* hoc affectu fuit correpta? Solam dico, quia mihi non constat per annum illum & priorem, ad minimum meos inter ægros, quorum visitavi non paucos, nec ex auditu de aliis, purpuram albam perpeffis. Rariorem quoque dico, quia fortè numerari adhuc possent per urbem, s. inter nos, qui eam fuerunt passi. Purpuram quam dicunt rubram frequentiore observamus: Utrum hoc nomen mereatur etiam efflorescentia quorundam, cætera sanorum, per æstatem benè calidam & siccam, quales fuerunt istæ: perindè ac à balneo fortè calidiori observari solet; aut in cuticulâ teneriore ab illitu oleorum calidiorum, acriorum, frequentiori? viderint, qui dubitant. Certè similis fuit asperitudo cutis rubra, mordax, pruriens, qs. morbil-

biliosa. Nec dissimilis illa puerperarum etiam frequentior, sanguinearum, calidiorum, sub regimine sudabundo ; respectivè benigna. Et tale quid erupit quibusdam tempore tertianæ epidemio continenter febricitantibus: Et in horum censu fuerunt tam filix, major natu inprimis, in summo gradu, quàm maritus sub finem, per superiora dorsi modò, dubiè, lividi aspectus; sed omnes albæ purpuræ expertes, quâ mater sola habuit pectus oblitum. Unde specie diversam ab illâ reputavimus.

Sub finem tamen ejusdem æstatis visitavi puellam, cui *facies erysipelaceo modo rubens, sed & tumens* (*die rose und flug, rosam & volaticam* vocant vulgò:) talium *vesicularum*, sed *minimarum*, itaque miliarium, magno numero fuit qs. conspersa, per latus primò sinistrum, ut ferè visum fuisset, à liberaliori spir. vini camphorati usu id factum: Sed cùm & alterum latus, dextrum, illo intactum, inflammaretur & obsideretur similiter qs. albâ purpurâ, hinc externæ illi causæ soli hic effectus non potuit imputari. Interim per faciem *solam* fuit illa fugax efflorescentia per reliquum corpus nihil tale. Subnasci autem hinc voluit dubium: Quid quantumve ad istum fœminæ vesicularum proventum contribuerint externa, *spiritus* inprimis & *emplastrum*. Quandoquidem verò hoc, ut dictum, fieri aliàs solet, cum insigni rubore, ardore, mordacitate, quæ in nostro casu defuerunt; effectus autem se latius extendit, quò litus externus non pervenit; aphtharum proventus internus sine datâ tali causâ erupit; & de cætero quæ de purpurâ albâ leguntur apud tot Scriptores pleraque omnia huc quadrant: Quapropter nec nostrum phænomenon ab istorum traditis separandum duximus.

Phænomenon *urbi novum* non ausim dicere: Norint hoc Seniores. Suspicio tamen non vana est, parvulas s. minimas interdum vesiculas limpidas, aut albidulas, vel non semper vel non ab omnibus tanti habitas, sed inter sudamina, *hizbläterlen*, recensitas fuisse *epinyctides Pechlini*, quæ calore lecti provocantur, prurigine molestæ. Perindè ac per interstitia variolarum inter nos interdum, at rarò, visas audio fuisse creditas & dictas ul-

teriores, imperfectas, immaturas, parvulas variolas. An sic & aphthæ venerunt variolarum oris & faucium nomine?

Utrum ratio pro purpurâ albâ nostri casûs desumi potest à famoso purpuræ progressu. Diu est, quòd *Etmüllerus* & Scriptores Saxonum alii ejus fecerunt mentionem, tanquam sibi qs. propriæ. Post dimidium seculum demùm inde venit in Marchiam, ut ex *Act. Berolin.* in Franconiam, ut ex *Misc. Nat. Cur.* in specie app. d. *pareira brava B. Lochneri* discimus. De Sueviâ inter alios Agnatus & Consobrinus *Dn. D. Planerus*, & (qui vñ èν αἰγλοῖς.) *G. A. Camerarius* quondam in literis: Et de Burgundiâ, refert ab itinere Montbelgardenfi per *D. G.* feliciter redux *Dn. D. Zeller*. Sed unde venerit in Saxoniam? Quæ sit purpuræ patria? Ego non dixerim. Norint septem subjecta trioni loca, s. eorum incolæ. Anglos quidem istos nec ut novum quid, nec tanquam aliundè allatum referre video. Sed thema hoc purpuræ albæ se extendentis & propius accedentis dignum est examine Aliorum, quibus plus est subsidiorum pro formandâ & complendâ historiâ, ex quâ dein erui fortè possit ætiologia. Præter commercia populorum vix constat de modo & medio propagandi miasma. Aer, si vel maximè valet ad deferendum in viciniam, adeò in distans valere ad provehendum, exemplis specierum luis contagiosæ alterius, vix comprobatur. Quid autem sollicitus sum de propagatione hujus mali ad populos vicinos, siquidem ex relatione *Hamiltoni* hæc febris eâdem malignitate ac petechialis grassatur apud *Indos*; sc. perindè eò delata.

Quidquid autem sit de progressu illo, rationes tamen ipsius ad casum nostrum forent applicationis difficilis. Si vel Saxo ad nos venerit, & apud nos affectus ipsi patrius* erumpat; (uti quidem id

con-

* At ne hoc quidem constans est; Recordor enim jam duorum adultorum, rum, variolis decumbentium, quorum prior juvenis viator Argentinensis, in medio suppurationis cursu miliaribus insuper notatus Stutgardia & monstratus mihi fuit ab ipsius Medico, *Dn. D. Seegero*, nunc ibidem *Protophyfico*: Alter verò Studiosus Juvenis *Tönningensis*, adeoque *Pechlini* atque Saxonum vicinus proximus, hic *Tubingæ* variolas passus, meæque curæ concreditus, graviter quidem decubuit, feliciter tamen istas superavit, nec quidquam purpuræ exhibuit,

contigisse novimus Stutgardiae, in milite nobili, fato valdè acuto) vel Nostras è peregrinatione indè redux tale quid reportaret, citiùs tardiùsve erupturum; Si ab utroque horum similiter inficerentur plures: non miraremur. Ast de sceminâ illâ, post diligentem inquisitionem, de tali contagio, & à quo peti potuerit, nobis non constat. Nisi, ut dictum, de purpurâ rubrâ domesticorum. Idem dixero de *puerperâ* quâdam prioribus annis albam passâ, sed feliciter transmissâ, & de *primiparâ* aliâ, aliquot annis post iisdem miliaribus correptâ, sed & acutè abreptâ. Scil. ipsas non accessisse quenquam, nec venisse ad eas quenquam, à quo potuerint ipsam reportare. Quâ quidem occasione addendum & hoc duplex phænomenon: Ex cæteris, quæ ad purpuram istam notantur facere, in hac ægrâ desiderari duo; Non fuit *puerpera*, sed *vetula*; Non habuit variolas, petechias, quas *comites* vel *prævias* scribunt *Stahl*, *Raiger*, &c. Forſan ex his ipsis circumſtantiis peti poterit ratio: Cur evaleat ægra? quæ aliàs adeò malè audit purpura alba, cur malignè hîc non fuerit terminata.

Sive ergò febris illa miliaris fuerit species cuicunque alii contradistincta, orta à causâ specificâ, determinatâ aut determinante ad hanc non aliam febrem: *sive* febris fuerit continua acuta simpliciter, conveniens genio anni & loci, sed pro symptomate modò habuerit vesicularum genus utrumque: aut *scorbutus*, à maritimis ad mediterraneos non tam in genere, quàm in individuo hanc ægram, translatus; (certè *Pechlinus* in medio reliquit: Sua purpura, quæ ipsi Belgæ, in Cimbriâ viventi, per Europam olim peregrinabundo, benè nota creditur, *an Scorbutici salis fructus sit*, vel proprio veneno assurgat?) utrinque ægrè ad ægram solam applicatur rara causa.

Quandoquidem tamen medicè dicitur esse satis, corruptionem nosse specificam, epidemiam | quibusdam locis, materiam subtilem fermentescentem, cujus natura ignoratur, quæ jungi etiam possit & soleat suis qs. conspeciebus, non clarioribus in se, ad multiplicationem inquinamenti, cum | variolis, petechiis, &c. juxta deductiones *Jünckeri* & *Alberti*; oportebit omninò vel materiam s. cau-

sam occasionalem dici novam, novum insolitum objectum, *vel* novam agentis rationem, institutum novum apud nos, purgandi ita suum corpus per cutem, per fauces, more modoque non pristino, sed singulari, alibi introducto, mirâ s. obligatione s. informatione.

Non prætermittenda circumstantia *temporis*, & notabilis duorum exanthematum conjunctionis. Non comparuerunt, uti morbilli, variolæ, erysipelas cum bubone, &c. *citò*, post apparatus vel turbationem brevi- aut longiusculam? sed supervenerunt febris continuæ demum circa diem decimum, *vel undecimum*. Vulgò quidem modus computandi variat. Si diei dentur 24. horæ, si ab horrido in lectum ingressu fiat initium, post superatum diem nonum suspectum, versus alterius septimanæ *indicem* fuerunt observata. Notabilis illa *remissio* per noctem in mane diei 2. Jul. sed *inconstans*. Abhinc pejus iterum, & abhinc demum illæ eruptiones. Hoc non solum & Aliis observatum, & in primis quidem notatum ab Ill. B. D. Brunn, in *Eph. Nat. Cur.* ægros, cum sibi viderentur valere *melius*, in *peius relapsos* ad purpuram; verum etiam ante annum modò rursus observatum abs me fuit in *fæminâ*, quæ octavo graviditatis mense febre *continente* graviter decumbens, remissiones tamen singulis diebus matutinas exhibens, septimo ejusdem die *melius valere visa*, indè demum verâ *continuâ*, satis exquisitè tali, correpta, nullam remissionem ampliùs exhibuit, usque ad dictum modò alterius septimanæ *indicem*, diem sc. ab exaltatione *συνηχῆς* in *σύννοχον undecimum*, quo, post noctem paulò prioribus quietiorem, *manè* tota se *recollegisse* visa, & foetum mortuum feliciter enixa, ad meridiem usque jacuit quieta, taciturna, in statu dubio, certè debilitatis majoris quàm calor; post meridiem verò, ad vesperam, denuò accensus calor, aspectus oculorum torvus, frequens singultus, maxillæ rigor, pulsus durus, tendinum subsultus, manuum tremor & digitorum rigor, post superatam utcunque noctem, sequenti die protulerunt *purpuram albam*, sed ordinariam, minorem, satis largiter prorumpentem, & *feliciter* quoque *terminatam*; ut hâc ipsâ occasione per motus disputationem hanc conscribere constituerim. *Utrum* morbus ipse id tulisset? vel erratum, peccatum

fuerit, in quo? à quo? ut fieri solet in perplexâ perturbatione ægri & familiæ, determinare nequeo: Cavendum, ne uni fortè circumstantiæ tribuam, quod esset plurium, quod morbi ipsius, sub conditione tamen personæ & regiminis.

Oportet autem materiam despumationi aptam, vel impuritatem, quæ naturæ fuerat offendiculo, fuisse *multam*, aut *novam* usque per morbum *genitam*, & *intentionem* movendi ad superiora & exteriora jugem & *multiplicem*; Siquidem præter efflorescentias priores subsecuta fuit non quidem scabies corporis, *scabiosi* tamen *quid* per postica capitis. Quale quid non adeò infrequens auditur à fœminis, & erysipelaceo cuidam modo & motui imputatur. Complicatio & intricatio capillorum, cum suffocatione qs. madoris, non parum videtur contribuisse. Et extricatio in declinatione non facta fuit sine novâ quâdam, levi tamen & brevi, turbatione.

Congestionem & extensionem ad interiora vicinæ auris arguit observata *barycæa*. Sed *cur* auris solùm alterius, dextræ? *An*, quia respondit visceri, quod subest è directo, cat ixin. Et *cur* sublata *spon*te, absque usu topicorum? *utrum* ipso morbo declinante, & naturâ sensim redeunte ad quietem? *vel* erumpente illo madore pustuloso pruriente occipitis & cervicis? aut *alvo* per enemata & laxantia sollicitatâ, *apertâ*, & invitâtâ deorsum materiâ opplente? an biliosâ? vi aph. 28. 60. S. IV. Interim qui de alvo in præjudicium superiorum, ut hîc oris ad aphthas, clausâ monent practici, & qui de alvo leniter movendâ s. laxandâ in febribus agunt, in *Misc. Nat. Cur.* possent pro instituto suo allegare usum *enematum* frequentem hîc s. tolerabilem s. proficuum: Et observatam in *puerperâ* modò citatâ *alvum lubricam*, liquidis frequenter sponte solutam, vesiculis nihilominus feliciter succedentibus; planè conformiter illis, quæ leguntur in *Disp. Alberti* d. Purpurâ c. Febre.

Et quæ ratio subsequi *pedum tumoris*, utriusque perindè, absque dolore, non contumacis? Forsan ipsæ istiusmodi evacuationes, patula excretoria, inclinantem eò materiam, vel naturam potius, qs. invitârunt ad non sinendum diu *infra*, sed *promovendam*

vendam illam adhuc mobilem; opellam contribuentibus etiam paucis externis. Sed de hoc themate pluribus quondam actum fuit occasione *Oedipi*.

Quia serosa fuit stagnans illa materia, itaque phænomenon *Urinae*, in historiâ prætermissum, hîc inferere licebit. Illa quidem per febrem istam non brevem nunquam tamen transmissa vel conspecta fuit febrili tincta rubedine, sed *decolor*, nec multum deponere solita, varians tamen in gradu tenuitatis & crassitie. Certè per declinationem multum cruditatis habere visa tabis metum injecit. Applicarem illud: Urina bona, &c. nisi subsecutus fuisset eventus prosper. *Hamilton*: Urina nonnunquam, ferè ut communis aqua, pallida; aliàs naturalem præ se fert colorem. Ex tali, quia decolor, sanorumque similior emittitur, quàm in febre ardente, sanguinem & succum nervosum, acrimoniâ potius acidâ imprægnari conclusit, quàm particulis sulphureo-salinis; has pustulis rubris magis assignavit.

Non est ab urinâ separandum quod sequetur phænomenon *Sanguinis* è venâ sectâ missi. *Utrum* non fuisset instituenda? *vel* citius? *vel* loco magis congruo, infra? qualia in culpæ censum vocari voluerunt, transmittam, quia non mei, sed ægræ, adstantium & chirurgi arbitrio res fuit gesta. *Color* modò oblatus die quarto cruoris meretur reflexionem. Caruit crustâ, superficie fuit mundæ. Et dat materiam quæstioni: *Cur* desideratum fuerit, quod *Bærhæve* dedit inflammationi? *An* ex ratione *Baglivi*, ubi talis cruor signum malignum, venæsectionis contraindicans? Divinent, qui possunt, *utrum* si porrò missus fuisset, crustam quoque fuisset exhibiturus. Sed de hoc themate ex professo quondam egit *B. Parens*.

Et colorum quidem istorum eò magis ratio notabilis, quò major suspicio *inflammationis*. Dolor utique lateris punctorius pleuritidem inferiorem, vel superiorem & exteriorem hepatidem minabundus; Respiratio primùm ægrior & sputum ex pectore procedens, at postmodum è faucibus magis, cum difficiliore respiratione, vix sputium, externum, catarrhale modò & rheumaticum quid arguunt. Nec tamen apostematodes, sed *erysipela-cea* potius, tenuior, mobilior videtur fuisse, quæ subfuit, inflammatio.

SOLI DEO GLORIA.